

DISSERTATIO  
DE VITA PATRIARCHARUM LON-  
GISSIMA,

CUJUS:

PARTEM PRIOREM,

CONSENTIENTE AMPLISS. FACULT. PHILOS.  
ABOËNSI,

PRÆSIDE

JOHANNE BONSDORFF,

Litter. Græcar. Professore ordinario,

PRO GRADU PHILOSOPHICO

publicæ disquisitioni subjicit

SAMUEL ROOS,

Stipend. publ., Borealis,

In Audit. Philosoph. die XVIII Junii MDCCXVII.

h. a. m. f.

---

ABOÆ Typis FRENCKELLIANIS.

ON THE  
LAW OF  
THEIR  
WILLINGNESS TO WORK

BY

JOHN RICHARDSON

OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

AND MEMBER OF THE CANADIAN

ACADEMY OF LEARNED MEN

AND OF THE ROYAL SOCIETY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL ACADEMY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL SOCIETY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL ACADEMY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL SOCIETY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL ACADEMY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL SOCIETY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL ACADEMY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL SOCIETY

OF CANADA

ON THE  
LAW OF  
THEIR  
WILLINGNESS TO WORK

BY

JOHN RICHARDSON

OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

AND MEMBER OF THE CANADIAN

ACADEMY OF LEARNED MEN

AND OF THE ROYAL SOCIETY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL ACADEMY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL SOCIETY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL ACADEMY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL SOCIETY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL ACADEMY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL SOCIETY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL ACADEMY

OF CANADA

AND OF THE ROYAL SOCIETY

OF CANADA



## DISSERTATIO

DE

### VITA PATRIARCHARUM LONGISSIMA.

"*Nos, qui sequimur probabilia, nec ultra id,  
quod verisimile occurrerit, progredi possumus,  
& refellere sine pertinacia, & refelli sine ira-  
cundia, parati sumus.*"

CICERO *Quæst. Tuscul.* L. II. C. II.

**N**egandum quidem non est, omnis ævi, si vel a tem-  
poribus αδηλοις & μυδινοις discesseris, Historiam,  
exemplis hominum, qui longe ultra vulgarem viven-  
di modum vitam suam produxerunt, gloriari a); ne-

A que

---

a) Exempla hujus generis studiose collegerunt, omnium pri-  
mo, ill. HALLER, *Elementor. Physiol. corporis humani T.*  
*VIII. L. XXX. §. §. XVI & XVII,* & post eum, HUFE-  
LAND in libro (suetice verso sub Titulo mirabili) Kon-  
sten att lefva länge P. I. S. V., atque SCHRÖTER, *Das Al-*

que omnino negatum volumus,<sup>1</sup> extreum, quem  
vitæ humanae natura posuerit, limitem, absolute non  
posse definiri *b*); usque tamen adeo longævos initio  
rerum exstitisse homines, ut, ante diluvium, milenos  
prope, post vero, sexcentos usque, annos, quemad-  
modum in tabulis Patriarcharum genealogicis *Genes.*  
*V, XI* relatum legimus *c*), attigerint (& quidem vul-  
go

---

ter, und untrügliche Mittel alt Zu werden, nebst eiltausend  
siebenhundert und neunzig Beyspielen von Personen, welche  
80 bis 190 Jahre alt geworden sind, 2:ter Abschnitt. Ve-  
tustiora autem exempla speciatim collecta vide apud PLI-  
NIUM *Histor. Nat. L. VII. C. L.*, & PHLEGONTEM TRAL-  
LIANUM de longavis (uterque ex ipsis censuum tabulis at-  
que commentariis), LUCIANUM de *Macrobiis*, STRABONEM  
*Geogr. L. XV. p. 701. Edit. Casaub.* III, VALERIUMQUE  
MAXIMUM, *Dictr. factorumque memorabil.* L. VIII. C.  
*XIII de Senectute memorabili.*

- a) Hinc CICERO de senectute C. XIX: "O Dii boni, quid  
est in hominis vita diu? da enim supremum tempus: ex-  
spectemus Tartessorum Regis etatem; fuit enim (ut scri-  
tum video) Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta  
regnavit annos, centum & viginti" (secundum alios, v.  
gt. PLINIUM, *Histor. Natur. L. VII. C. XLIX*, centum  
& quinquaginta) "vixit."*
- b) Quin & JOSEPHUS, in fidem rei, veteres mille annos vi-  
xisse, plurimos auctores & Græcos & Barbaros, testes  
provocat Antiquit. *Judaic.* L. I. C. III, s. IX,*

go d), haud facile quisquam, nisi eosdem, aut plane alius, quam qua jam gaudemus, naturæ, aut etiam perpetuis miraculis a Deo sustentatos, fuisse, temere & imprudenter contendere voluerit, sibi persuadebit. Quod si enim humanæ machinæ compagem, qualis sit, quibusque legibus, si vel firmissima fuerit, a natura, quæ coagmentauit, dissoluatur, debita attentione perpenderimus, vix ac ne vix quidem citra alterum sæculum, ut summi ætatis nostræ posuerunt Physiologi, ultimus vitæ humanæ terminus videtur extendendus e). Quod si autem annos, quos vulgo, qui

A 2

corpus

d) Si quidem qui e Sethi linea recensentur Adami ante diluvium posteri vitam vulgo egerunt longissimam, per se utique patet, cæteros quoque antediluvianos eodem usus fuisse naturæ beneficio. Ad illos tamen solummodo favorem huncce restringunt MAIMONIDES *More Nevoch.* P. II. C. 47, & SCHRÖTER l. c. p. 60, 61.

e) Cfr. HALLEER l. c. §. XIII, XIV. & HUFELAND l. c. S. VI, p. 60, 61. — Cave tamen putas, macrobiorum, qui ad nostram pertinere memoriam & de quorum ætate certo constat, quemquam, hunc ultimum vitæ terminum vel proprius attigisse. Exemplo namque, quod e MÜLLERI & SCHULZI *Heimlichkeiten oder Begattung und Fortpflanzung* l. Th. p. 268, N:o 18 retulit SCHRÖTER (l. c. p. 525, 26), Rossi cuiusdam, qui A. 1805 centum & nonaginta annos expleverit, & tamen adhuc bona usus fuerit validus, fidem habere vetat vel ipsa de anonymo hocce patriarcha narratio. Neque quos idem SCHRÖTER, alii-

corpus vita libidinosa & intemperanti effætum sene-  
ctuti non tradiderint senioque obierint, attingere so-  
lent, respexerimus, haud quidem ultra septuaginta aut  
octoginta annos genus nostrum, non solum hodie per-  
uenire in confessu est f), verum neque unquam per-  
venisse, quidquid dicant, qui, communi omnis ævi  
præju-

que, de *Petracz Czartan*, anno ætatis sue centesimo-  
octogesimo quinto denato, cæterisque sic dictis Temes-  
varientibus macrobiis, exceperé, rumores, majori fide, ju-  
dice HALLER (l. c. §. XVI p. 104) sunt digni. Anti-  
quiora vero, quæ hic pertinerent, exempla, v. gr. quæ  
apud PLINIUM l. c. C. XLIX. exstant, quæque ipse PLI-  
NIUS suspecta habet, afferre non vacat. — Omnia ita-  
que grandævorum, de quorum ætate nemo dubitat,  
*μαργεβιατατον* etiamnum cum HALLERO & HUFELAND ha-  
bere nobis liceat decantatum Anglum *Henricum Jenkins*,  
qui anno ætatis sue centesimo sexagesimo nono obiit.

- f) In re omnibus notissima non quidem opus est testimoniosis, illustrationis tamen caula subj cere placet verba celebra-  
tissimi BUFFON in *Histoire Naturelle de l'homme* (v. *Histoire Naturelle générale & particulière*, T. IV, p. 338, Edit.  
V:æ): — les premières nuances de cet état (de la vieillesse) se font apercevoir, avant quarante ans, elles augmentent par degrés assez lents jusqu'à soixante, par degrés plus rapides jusqu'à soixante & dix; la caducité commence à cet age de soixante & dix ans, elle va toujours en aug-  
mentant; la decrepitude suit, & la mors termine ordinai-  
rement avant l'âge de quatre-vingt-dix ou cent ans la vieil-  
lesse & la vie.

præjudicio fascinati, de brevitate vitæ nostræ conqueruntur priscaque secula laudibus extollere amant, patebit. Consentientibus namque, *Solone*, *Pythagora*, *Platone*, & ipso *Mose*, commemoratum vitæ terminum, iplorum jam ævo in universum obtinuisse g); nullum certe esse poterit dubium, quia eadem, quæ sic quidem per ter mille & quod excurrit annos mortaliū in hac parte fuit fors, prius quoque locum invenerit, eoque pačto nec unquam a mundi senio vitæ humanæ longitudo pependerit. Quamvis etenim, qui veritatem narrationis Mosaicæ vindicare satagunt, vitam primorum hominum longissimam e simplici atque temperanti eorum viuendi ratione, cœlique & soli, in quo viuere ipsis datum erat, temperie

g) Testantur hoc: de *Solone*, Septuaginta annos vitæ humanae attribuente, HERODOTUS L. I. C. XXXII, & DIOGENES LAËRTIUS L. I, l. 54: de *Pythagora*, humanam ætatem in quatuor æquales partes, quarum quæque viginti caperet annos, distinguente (ad eoque octogesimum annum ut vulgarem vitæ terminum habente), idem DIOGENES LAËRTIUS L. VIII, l. 10: de *Platone*, octogesimum item annum ut siue vitæ legitimum constitueret, CENSORINUS de die natali C. XIV. Ipse vero *Moses*, Psalmi nonagesimi, ut interscriptio docet vulgoque admittunt interpres, auctor, commate 10 ingenue fatetur, vitam humanam non nisi septuaginta, aut ad summum octoginta annos (*viracides* habet centenos, numero rotundiori, Cap. XVIII. v. 9) subsistere.

perie atque natura, per diluvium, ut putant, prorsus immutata, derivandam esse summopere urgent; facili tamen, quantademcumunque aureæ in vietu & cultu simplicitatis, ipsiusque climatis, in vita hominum conservanda & proroganda sit vis, intelligitur negotio, hanc eorum opinionem omni æque carere fundamento, ac jamjam oblitteratam, adeoque non nisi verbo hic excitandam, conjecturam magni BUFFONIS, qui superficiem terræ & corpora, quibus alimur, ante diluvium minus solida fuisse & compacta, quam postea, atque proinde, ossa, musculos &c. hominum antediluvianorum, alimentis eorum multo mollieribus existentibus, longiori tempore mollietiam suam sustinuisse, itaque & perdurasse, statuit h). Tenendum quippe est, simplicitatem in vietu non semper comitem sibi habere temperantium, tantoque minus, hujus quidem nomine, antediluvianos esse laudandos, quo certius sit, rudes atque incultos, quales primis sine dubio temporibus erant, homines, sensuum atque instinctuum suorum nimis quantum, bestiarum more, subesse imperio, ipsamque Historiam Mosaicam eosdem, ob nequitiam (sensualitatem) suam diluvio deletos proponere. Quod vero ad soli, in quo primi homines vitam degerunt, naturam, cœlique, quo ipsis frui licuit, temperiem, attinet, obser-

servandum est, terram nostram, vel ipsa Cosmogonia Mosaica praeente, genitam fuisse ab oceano, adeoque nec deteriorem & insalubriorem, quam initio fuerit, fieri potuisse diluvio, australesque Asiae partes, in quibus vulgo volunt generis nostri parentes collocatos, macrobiorum numero & aetate neque hodie esse memorabiles, quin potius gloriam hancce regionibus ad zonam frigidam propius accendentibus,, in primis Angliae, Hiberniae & Russiae, competere i).

Quæ vero cum ita sint, neque defuerunt interpres, qui legum naturæ ratione habita, tabulas istas genealogicas explicare, suo quisque modo, allaborarunt.

Conjecerunt itaque alii k), nominibus *Adami*, *Sethi* &c., interdum ipsos Patriarchas, interdum progeniem eorum, non secus ac nomina *Judei*, *Ephraimi* &c de ipsis tribubus a *Juda*, Ephraimo descendientibus, illorumque auctoribus, promiscue usurpanatur, esse intelligendam, eoque ex fundamento, cum v. gr.

i) Cfr. HALLER I. c. §. XVII, HUFELAND I. c. P. I, f. V, VI, &, qua Russiam, annua in Ephemeridibus Petropoli- tanis mortuorum tabulae,

k) His ducem se præbuit GATTERER in suo *Abriss der Chronologie*,

v. gr. *Genes. V. 3 — 5* legendum existet, Adamum centum & triginta annos natum, genuisse Sethum, annisque octingentis postea transactis nongentissimo trigesimo obiisse, vix alium narrationis hujus genealogiae esse sensum, quam Adamo centum & triginta annos nato genitum fuisse nepotem aut pronepotem Sethum, totamque hanc prosapiam inde ab eo tempore octingentos, adeoque in summa nongentos & triginta, annos perdurasse. Sed jure observat HENSLER <sup>1)</sup>, plurimis hanc conjecturam laborare difficultibus. Posito namque, idem nomen, in eodem contextu, quandoque progeniem, quandoque auctorem ejus significare, quæritur, quomodo, quæ plurium sæculorum lapsu multum jam accreverit, v. gr. Adami familia, extingui, & quidem certo anno extincta dici, potuerit, cum vel ipse Sethus in sequenti oratione, novæ stirpis perhibetur genitor. Tacemus, vocabula שֵׁת וְחִיָּה laudatam minime, nisi linquæ usui & genio vim inferre volueris, admittere interpretationem, nomenque viri ob summam pietatem a Deo (præmatura morte) sublati, Chanochi *Genes. V. 24*, nullâ arte de progenie sua posse explicari.

Alii

---

1) Bemerkungen über Stellen in den Psalmen und in der Genesis, p. 284, 85.

Alii contra, voce in tabulis istis genealogicis saepius repetita מִנְשׁ, non annum solarem aut lunarem ut vulgo assumunt, sed brevius temporis spatium, adumbrari existimant: quibusdam, antiquorum præcipue interpretum, non nisi annos menstruos cogitantibus, eoque pacto vitae curriculum v. gr. Methusalæ, octoginta tantum & quod excurrit annos solares, ætatem ne recentiori quidem ævo inauditam, excipere, contendentibus; cæteris vero, annos in Historia Patriarcharum occurrentes, aut trimestres usque ad Abrahamum, indeque, ad Josephi usque tempora, octo mensium, aut etiam semestres usque ad Peleg, atque dein lunares, intelligendos esse postulantibus m). Neque omnino diffitendum est, gentes antiquissimas, diverso modo, & quidem plerumque prout anni tempora secundum diversitatem climatis in partes, sive duas (æstatem & hiemem), sive tres (ver, æstatem & hiemem), sive quatuor (ver, æstatem, autumnum & hiemem) distribuerint n),

B

annos

m) Priorem opinionem amplectitur HENSLER I. c. p. 230 — 326; posteriorem vero, auctor anonymous libelli: *ausführl. Erklär. der sämtl. Wundergeschichten des A. Testaments* I. Th. Berlin 1800 p. 53 f.

n) Immo Rabbinos annum solarem in sex tempora, quorum quodque duos excepit menses, memorat BACHIENE *Histor. und Geograf. Beschr. von Palæstina* I. Th. I. B. p. 400,

annos suos determinasse. Fertur namque, Ægyptios, solis motu nondum cognito, annum ad lunæ circuitum descripsisse *o*), alia autem ætate quatuor mensibus absolvisse *p*), tandemque annum solarem duodecim mensium, omnium primo invenisse *q*). De Arcadibus vero, gente perquam vetusta *r*), Caribusque & Acarnaniis, commemoratum legimus, illos quidem s. Arcadas annos habuisse trimestres *s*), his

*o*) Cfrr. in hanc rem *Eudoxus ap. PROCLUM in Timœum Platonis L. I.*, p. 33, *Varro ap. LACTANTIUM institut. Divinar. L. II. C. XII.*, *PLINIUS Histor. Nat. L. VII. C. XLIX.*, *PLUTARCHUS in vita Numæ p. 286 Edit. Reiskianæ, SUNDAS sub voce ἡλιος*. Quid? quod Ægyptios, eodem signo, quo Istin Deam (b. c. lunam), annum depinxisse, mulieris sc. imagine, auctor sit *HORAPOLLO Hieroglyphicæ l. I. N. 3.* *CENSORINUS tamen l. c. C. XIX annum Ægyptiorum antiquissimum bimestrem fuisse, ex aliiorum dictis retulit.*

*p*) Cfrr. *PLUTARCHUS & CENSORINUS l. l. c. c.*, itemque *SOLINUS Polyhistor. C. I.*, p. 3. Edit. SALMASII. — Tam vero hoc, quam illud, negat *DIODORUS SICULUS Biblioth. Hist. L. I. S. 26*, p. 30. Edit. Vesselingianæ.

*q*) Hujus rei testes sunt *HERODOTUS Histor. L. II. C. IV.*, *LUCIANUS de Astrologia*, & *STRABO Geogr. L. XVII.*, p. 816.

*r*) v. *STRABONEM L. VIII*, p. 595, & *APOLLONIUM RHODIUM Argonauticor. L. IV*, v. 264, 65.

*s*) Cfrr. *PLINIUS, SOLINUS, CENSORINUS, l. l. c. c., MACRO-*

his autem semestres usu venisse t.). Nihilo tamen minus nullum ex hisce annos Patriarcharum explicandi periculis, quamcunque demum e tribus diversissimis, quas in tabulis Geneseos genealogicis exhibent Codices Hebraici & Hebræo-Samaritani Versioque LXX. Interpretum, lectionibus admiseris u),

B 2

album

BUS *Saturnal.* L. I, C. XII, & AUGUSTINUS *de civitate Dei* L. XV, C. XII. — PLUTARCHUS interea, licet de *quisbusdam Barbaris* idem l. c. perhibeat, Arcadum annos quadrimestres fuisse, testatur.

t) Cfr. CENSORINUS, PLUTARCHUS, SOLINUS, MACROBIUS, l. l. c. c., itemque ALEXANDER AB ALEXANDRO *Genial. dier.* L. III, C. 24. PLINIUS vero l. c. de populis annos fe-  
mestres computantibus universe loquitur.

u) Nostrī non est instituti, neque nostrarum virium, con-  
troversiam illam diu multumque agitamat, quænam lectio in locis nostris Mosaicis vera & genuina habenda sit, utrum Masorethica (quam presso sequuntur Chaldaeus, Sy-  
rus, Symmachus, cæteri), an Hæbræo - Samaritana (quam & ipsa versio Samaritana suam fecit), an LXX Interpretum (quorum vestigiis institere filiæ, vetus latina versio, Coptica &c., Græcique Patres non pauci), dirimere. Non tamen illustri MICHAËLIS, fortissimo lectionis Masorethicae contra JACKSONUM (qui in libro *Chronological antiquities* lectionem LXX interpretum pertinaciter defensitat) & WHI-  
STONUM (qui in suo *Essay, towards restoring the true text of the old Testament textum præfert Samaritanum*) pro-  
pugnatori (in Comentariis *de Chronologia Mosis ante di-*

alium mereri videtur calculum. Quod si enim annos menstruos cogitaveris, lectionemque Masorethicam (cui & Samaritana in Patribus antediluvianis maximam partem adstipulatur) ut genuinam approbaveris, sequitur omnino quod per se absolum est dudumque monuerunt interpretes, ut plerique Patriarchae, ante diluvium, impuberes, præterlapsi autem κατακλυσμω, ætate infantili, genuerint. Si vero lectionem LXX interpretum (quibuscum idem fere in tabula posteriore faciunt Codices Samaritani) Masorethicae prætuleris, ne tum quidem, qua Patres postdiluvianos, justos generationis annos assequeris. Ubi autem ad seriores Patriarchas, Abrahamum, Isaacum & Jacobum, hanc eandem computandi rationem extenderis, cogitur, Abrahamum & Isaacum, senio quamvis confecti obiisse dicantur, alter anno ætatis

*diluvium, itemque a diluvio ad Abramum,* Ejusdem *Synagmati Commentationum insertis), retrahimur, lectionem,*  
 & Samaritanam & LXX viralem, nimis quantum videri systematicam atque vel eo nomine valde suspectam. Sed & ipse textus Masorethicus systema, ut infra monstrabimus, videtur sapere. Siquidem interea ad calcem dissertationis tabulas lectionum, non minus Masorethicae & Samaritanæ, quam LXX viralis (secundum Codicem Alexandrinum, a quo non multum ab ludit Vaticanus), quo sic quidem, quomodo a se invicem discrepant, uno quasi obtutu inficiant Lectores.

ætatis centesimo septuagesimo quinto (*Genes. XXV.* 7, 8), alterque centesimo octogesimo (*Genes. XXXV.* 28, 29), non tamen ultra quindecim annos propriæ dictos vixisse; Jacobum vero, licet extremis vi-tæ, quam ad centum quadraginta & septem annos produxisse fertur *Genes. XLVII.* 9, 28, diebus, præ senectute cœcutierit (*Genes. LXVIII.* 10), nonnisi duodenos vivendo complevisse; immo Abrahamum, **LXXXVI** menses h. e. septem annos natum, ex Hagar, eodem mense & concipiente & pariente (!), filium Ismaëlem suscepisse (*Genes. XVI.* 16, coll. v. 3 & *Cap. XII.* 4). — Ad reliquas vero hypotheses quod attinet, haud sane minoribus obsitæ sunt difficultatibus, ut satis, speciatim quamvis contra HENSLERUM, evicerunt libelli Hensleriani censores gravissimi v.). Præterquam enim quod artium & ingenii cultura, qualis apud antediluvianos, teste Historia Mosaica, obtinuit, ægre admodum, si ex vulgari chronologia annos, quos jam solares vocamus, MDCLVI ad diluvium numeraveris, nullo autem modo, si epocham hancce imminueris, possit explicari, historia perhibet diluvii, Noachum, irrumpte, mensis secundi die decima septima, diluvio, centenariorum (*Genes. VII.* 6. II),

u) MICHAËLIS in *Neue Oriental. u. Exeget. Bibliothek* 9. Th p. 201—207, & ANONYMUS in EICHHORNII *Allgem. Bibliothek der Bibl. Litteratur*, des 4:ten Bandes 1:stes St. p. 103 — 111.

*II*), exactis reliquis (ejusdem anni) mensibus, quorum tamen non nisi *septimi & decimi* (*C. VIII. 4, 5*) facta est mentio, primo tandem mense (anni sine dubio sequentis) primum egisse & centesimum (*C. VIII. 13*), certissimo utique indicio, annos, neque mensuos, nec trimestres aut semestres, si vel unquam tempus prisco ævo ita definierint, sed duodecim mensium, in hac ipsa diluvii pericopa, adeoque in tabulis quoque nostris genealogicis, spectasse Auctorem Geneseos.

Alii denique numeros in tabulis Patriarcharum genealogicis factos esse suspicantur *x*): neque, ut nobis quidem, gravissimis de causis, videtur, injuria. Observamus itaque *no*, neminem unquam, cui sicutum est sinciput, vel Mercurio dicente, creditum, Adamum, physice quamvis *τελειον* a Deo creatum, mox ab articulo temporis, quo aura vesci sibi licuit ætherea, tales se præbuisse arithmeticæ magistrum, ut annorum, qui sibi dum viveret effluxere, ideam habuerit, posterosque ejus hac eadem arte ita fuisse eruditos & in annos, non modo suos, verum etiam suorum, attentos, ut singulorum vitæ summam, ad millos

*x)* Hanc suspicionem excitarunt Auctor anonymous Libri: *Die ältesten Urkunden der Hebräer im ersten Buch Mose* Stendal 1788, p. 340, itemque anonymous nuperrime laudatus ap. EICHHORN I. c.

millenos prope annos haud raro exsurgentem, confidere, veramque *χρονοταξίην* ad nepotes propagare potuerint, cum tamen, in nostris, vel maxime cultis & scientiarum luce collistratis, civitatibus, ubi, ex rationibus, olim locum minime habentibus, politicis, arithmeticices studio operam qualemque navare coguntur eujusvis fortis & conditionis homines, plurimi et rudi populo in arte numerandi plane sint hospites, pauci autem, etiam et senui prudentiorum turba, vitae annorum, neque suae, nec sobolis, rationem reddere sciant, sed ut plurimum, praeterita tempora in memoriam revocaturi, ad eventus maxime memorabiles, sive publicos, sive privatos, omnia referant a). 2:o Neque magis probabile est, priscos, arte scribendi nondum inventa, tantam, quae in tabulis nostris genealogieis occurrit, numerorum farraginem traditione orali ad posteros, donec litteris tandem mandarentur, potuisse traducere, cum nihil memoriae in genere, ut novimus, molestius sit numeris. 3:o Ab exemplo Arabum, qui quamvis hodie, aequae ac olim, magni faciant atque fecerint, longo censeri sanguine, eamque ob causam studio genealogico ita dediti sint, atque fuerint, ut non modo hominum, sed & camelorum equorumque nobilium, eadem incredibili & anxia, qua unquam vel nostrae ætatis

a) Cfr. Anonymus apud EICHORN I. c.

ætatis familiæ nobilissimæ sua percensent stemmata<sup>a</sup>, cura diligentiaque confectas & per multa sæcula continuatas habeant tabulas, nunquam tamen tabulis hisce temporis annorumque adjiciunt aut adjecterunt notulas *b*), concludere fas est, neque Hebræos, gentem iisdem aliquando contiguam, congenerem, & moribus simillimam *c*), chronologiæ vacasse antiquitus.

Atque

*b*) Cfr. MICHAËLIS de *chronologia Mosis ante diluvium l. c. p. 118*, in primis *Monumenta antiquissimæ Historiæ Arabum post SCHULTENSIMUM edita ab EICHHORN* p. 17. f., itemque, de equis Arabum sic dictis nobilibus *l. Kehilan*, NIEBUHR *Beschr. von Arabien* p. 161, ARVIEUX *Hinterlassne Nachrichten v. LABAT* Tb. II. p. 381, 382, Th. III p. 101 f., *Abhandlungen über Ægypten*, welche während des Feld-Zuges des Generals BONAPARTE von dem National-Institut zu Kairo bekant gemacht worden sind p. 75, STUARTS *Reise nach Mechinez* p. 98.

*c*) Uno quasi ore qui Orientem peragravunt Itineratores constentur, hodiernos Arabes, in vita sua domestica & moribus, vagos non esse Europeorum instar, sed sibi constantes & maxime stabiles; in primis vero Scenitas sive *Bedouinos*, non tantum qua externum cultum & habitum, sed & qua ritus, mores, instituta, consuetudines e. s. p., majorum suorum pertinaciter adeo inhærere vestigiis, ut si dissimilitudinem, quam Mahomedana, cui hodie addicti sunt, efficerit supersticio, exceperimus, vivam veterum Israelitarum in se expressam referant imaginem. Ratio vero rei nulla alia est nec esse poterit, quam quod nus-